DE
JURE NATURALI
EXERCITATIO,

Quam

BENEVOLO AMPLISSIMI COLLEGII PHILOSOPHICI INDULTU,

IN ILLUSTRI SALANA

Publicæ Eruditorum disquisitioni submittunt

M. PAULUS MARTINUS SAGITTARIUS,

Jenensis,

&

TOBIAS Mahn / Altenburgensis,

ad d. Martii

H. L. Q. S.

JENÆ,

Literis JOHANNIS VVERTHERI,

ANNO M. DC. LXVIII.

Q. B. V.

§. I.

DE Jure quando agit Philoſophus V. ad Nic. c. 10. dividere id ſolet in *ſimpliciter tale* vel *Politicum*, & in id, quod *ſecundum quid* & *juxta ſimilitudinem tale* eſt. *Politicum*, quô omnia jura & naturale & poſitiva, quibus homines in civitate degentes inter ſe invicem utuntur, denotantur, in duas iterum diſtribuit ſpecies, *naturale* & *legitimum*, vel, ut Grot. l. 1. de J. B. & P. c. 1. n. 9. vocat, conſtitutum, ſumtô diviſionis fundamentô à causâ juris efficiente, quæ eſt vel natura, vel homines, cùm aliud jus naturâ, aliud hominum voluntate atque arbitriô habeatur conſtitutum. De *naturali* noſtra hâc vice erit tractatio.

II. Antequam verò ipſam Juris naturalis eſſentiam evolvamus, de ejusdem Homonymia & Synonymia quædam lubet præmittere. Conſtat verò illud, quod conſiderandum ſumſimus, ex diverſis vocibus, quarum ſingulæ ſuis non deſtituuntur ambiguitatibus. Quod itaque vocabulum *Juris* attinet, id eſſe æquivocum, ſuô jam tempore pronunciavit Ariſtot. 1. M. M. c. 34. Ut varias Juris acceptiones ſilentiô nunc prætereamus, ſufficiat nobis illam Juris adduxiſſe ſignificationem, quâ accipitur pro *lege* largius paulo ſumta hâc voce, & *eſt regula vel norma actuum moralium, obligans ad id, quod rectum eſt.* Interea cupidum talium lectorem remittimus ad Petr. Gaſſendum, qui in ſuâ Philoſophiâ Morali partim ex Scholaſticis, partim ex vetere Philoſophiâ vocem Juris ſolidè explicavit. Conferatur & Suarez l. 1. de LL. c. 2. Lud. Molina de Juſtitia T. 1. tr. 1. diſp. 2.

III. Neque vox *naturalis* ſuis caret æquivocationibus, quas omnes in præſenti recenſere noſtri non eſt inſtituti, con-

tenti eas allegasse, quæ præsenti videntur scopo inservire. Sumitur autem τὸ *naturale*, annotante *B. Hornejo in Inst. Log. l. V. qu. 9. n. 7.* (1.) pro eo, quod naturæ ab initio actu inest, sicut homini naturale est videre, intellectum & voluntatem habere. (2.) pro eo, quod licet ab initio rei actu non insit, secundum proximam tamen potentiam inest, & tale est, ut natura absque externâ ope id producere possit, sicut naturale lapidi est descendere. Atque hinc patet, quô sensu *jus* nostrum *naturale* appelletur. Non enim ita dicitur, quasi à primâ statim origine actu nobis inhæreat, sed quòd connascatur aptitudo quædam & potentia, quæ hominem ad comparandam terminorum practicorum cognitionem aptum reddit; quæ tamen potentia non est remota, ac si multo labore & tempore, ut in actum deducatur, indigeat, sed proxima, quæ se exerit, simul ac usus rationis accedit, & species rerum ab objectis sensibilibus abstractæ per phantasiam ad intellectum deferuntur dijudicandæ. Conf. Calixt. Epit. Theol. Mor. de LL. p. 47.

IV. Expensâ utriusque vocis Homonymiâ restat, ut & paucis indicemus, quot modis *jus naturale* accipiatur. Sumitur autem (1.) pro Lege æterna, quâ omnia tàm animata, quàm inanimata gubernantur, ut observat Casus in Speculo Mor. qu. l. V. c. 7. (2.) pro naturali instinctu & inclinatione à Creatore rebus inditâ, quâ singula ad proprios actus finesque tendunt, quô in sensu à Platone in Minoë accipitur. (3.) pro naturali rationis lumine, quô bona & mala perspicimus & judicamus. (4.) pro ipsis rerum agendarum fugiendarumvè principiis, quæ juxta Azorium l. V. Instit. Moral. c. 1. f. 607. sunt species vel imagines referentes res bonas ac malas, faciendas vel fugiendas. (5.) denique pro dictamine rectæ rationis & præscripto &c. quô modô in præsenti à nobis consideratur.

V. Evolutâ Homonymiâ ad Synonymiam progredimur, ubi Ebræorum primâ vice occurrunt Synonyma, quorum multa licet deprehendere. Appellant enim מִצְוֹת, פִּקּוּדִים, חֻקִּים, licet hanc vocem Ebræos in significando Jure constitu-

ſtituto vel humano, adeoque diſtinguendo à Jure naturali tantùm adhibere exiſtimet *Grotius l. 1. de J. B. & P. c. 1. n. 9.* quem propterea egregiè falli oſtendit Vir Cl. *Joh. Chriſtoph. Wagenſeilius in animadv. ad Grot. l. c.* ubi docet, Ebræos Jus naturale à conſtituto hôc modô non diſcernere, neque ſolum Jus humanum eâ deſignari voce, cùm loci Deut. VI. 2. Pſal. CXIX. 8. aliud evincant, ubi חֻקִּים prò Legibus naturâ notis & moralibus accipitur. Ab Ebræis ad Græcos tranſimus, qui Jus naturale ſalutant πολιτικὸν ratione uſus, eo quod in civitatibus Jure naturali utuntur homines. Atque hanc vocem adhibuit Ariſtot. V. ad Nicom. c. 10. qui & I. M. M. 34. & II. M. M. 1. appellat δίκαιον τῇ φύσει, vel κατὰ φύσιν. Idem l. VIII. ad Nic. c. 13. & 1. Rhet. 15. jus naturale vocat δίκαιον ἄγραφον, & 1. Rhet. c. 10. 13. 15. νόμον κοινόν. Audiendus & Sophocles, qui in Oedipo Jus naturale nominat ἄγραπτον καὶ ἀσφαλὲς τῶν θεῶν νόμιμον, non ſcriptum & ſolidum Deorum jus. Sic & Philoni Judæo in libr. cui tit. quod omnis vir bonus ſit liber, dicitur νόμος ἀψευδὴς, ὁ ὀρθὸς λόγος οὐχ ὑπὸ τοῦ δεῖνος, ἢ τοῦ δεῖνος θνητοῦ φθαρτὸς ἐν χαρτιδίοις ἢ στήλαις ἄψυχος ἀψύχοις, ἀλλ' ὑπ' ἀθανάτου φύσεως ἄφθαρτος ἐν ἀθανάτῳ διανοίᾳ τυπωθεὶς, i. e. *lex mentiri neſcia eſt recta ratio, quæ lex non ab hoc aut illo mortali mortalis, non in chartis, columnis exanimis exanima, ſed corrumpi neſcia, quippe ab immortali natura inſculpta in immortali intellectu.* Nec prætereundum, quod Paulus ad Rom. II. 15. Jus naturale appellitet τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις. Quod vero Latinos concernit, neque hi vocabulis deſtituuntur, quibus Jus naturale exprimant. Dicunt enim *Legem connatam* vel *innatam*, *Legem divinam*, ut Cic. 3. Off. Sen. l. 4. de Benef. c. 7. *rudium æternæ Legis*, quin & ipſam *æternam Legem*, ut ex Gloſsâ in princ. d. 5. verb. oſtendit Svaretz l. 1. de LL. c. 10. Sic & vocant *rectam rationem practicam, jus humanum*, quatenus hominum animis eſt inſitum atq; inſculptum. Appellant etiam *Jus ſociale*, ut Grot. l. 1. de J. B. & P. c. 1. n. 11. *Jus mundi*, ut Lucian. *Legem naturæ*, ſumtâ ſcilicet voce Legis in latiori ſignificatu pro regulâ ac norma actuum moralium, quô modô æquipollent nomina Juris & Legis, ut *Lex* ea quoq; appelletur, quæ

jus naturale dicitur, & jus vocetur, quod Lex civilis alias dici solet. Sic & quibusdam placet salutare *decalogum*, ob maximam convenientiam præceptorum Juris hujus & decalogi, quam monstravit B. Chemnit. in LL. Art. de Lege DEi p. 261. seqv.

VI. Ad ipsam definitionem nunc esset accedendum, nisi de existentiâ Juris naturalis quædam adhuc prælibare placeret, Dari verò *Jus* aliquod *naturale*, vel sola honesti & turpis notio omnibus moratioribus cognita gentibus abundè satis comprobat; cui accedit desiderium cum aliis in civitate vivendi omnibus hominibus innatū, quo posito non potest non inter eos dari jus aliquod naturale, quod dictitet, civi unicuique suum esse tribuendum, & neminē lædendum. Sic & conscientiæ stimuli de naturali Jure satis superq; possunt testari. Hos enim & Ethnicus aut flagitiosus homo vel invitus & reluctans persentiscit, si à regiâ virtutis decesserit viâ. Licet enim à lege civili sibi talis non metuat, vel quia de tali negotio nulla Lex est sancita, vel quia in occulto peccat, & suæ confidat potentiæ, qua se à noxa vindicare possit, aut corruptum sibi polliceatur judicem; conscientiam tamen, quæ de bono haut incognitô & stimulis ad bonum allicientibus præsentibus eum convincit, internum suorum scelerum experitur testem, quin & judicem, tortorem, actorem, reum, carcerem, flagellum & carnificem, eò quòd bonum, quod lex naturæ suasit arripiendum, & ad quod blandè eum invitavit, alto despexit supercilio, neglexit, & tandem malè egit. Ita gentes norunt, fornicationem, homicidium, & hujus farinæ alia esse enormia peccata & morte digna asseverante Paulo ad Rom. I. 32. Parili modô Cainus ob fratricidium commissum mortis pœnâ se esse dignum intelligebat ex dictamine juris naturalis, cùm nulla lex de homicidio vitandô tunc temporis esset lata. Sic & non potest alia nominari lex, ex quâ Alexander Magnus, cùm Clytum temulentus interfecisset, se ipsum judicaverit, quàm lex naturæ. Ex hâc etiam Nero parricidii est convictus, morsusque conscientiæ non leves sensit, cùm matrem Agrippinam, quam prius impudicam fecerat, sustulisset, licet exquisitis militum & S. P. Q. R. gratulationibus confirmaretur. Verùm enim verò non defuerunt, qui, nescio quâ mentis perversi-

versitate abrepti existentiam Juris naturalis in dubium vocare ausi sunt, in quorum numerum censumve referuntur Pyrrho, Archelaus, discipulus Anaxagoræ & præceptor Socratis, ut testatur Laërt. l. 2. de vit. Philos. c. 9. Carneades auditor itidem Anaxagoræ, & Callides Sophista teste Platone in Gorgiâ, Minoë, it. l. 1. de LL. Spectant & huc Epicurei, Cyrenaici autorem Aristippum secuti, qui humanis omnia constitui ac finiri LL. existimarunt, ut memoriæ prodidit Laërt. l. 2. Sic quoque in hanc classem reponendi veniunt, qui per miserandum Protoplastorum lapsum Jus naturale prorsus esse absorptum asserunt. Neque suis se destitui rationibus illi ipsi arbitrantur. Dicunt enim, immobilia esse & ubique eandem obtinere vim, quæ suos naturæ debent natales, sicut ignis & hîc & apud Persas urit: Jura autem esse mobilia & quotidie ab hominibus mutari, prout eorum recitat opinionem Arist. V. Eth. c. 10. Sed hâc ratione contra Juris naturalis existentiam nihil quicquam evincunt. Non enim absoluta gaudet veritate, quod de immobilitate eorum, quæ à naturâ trahunt ortum, fuit adductum. Omnia siquidem naturalia absolutè non sunt immutabilia; sed aliquâ tantùm ex parte, quia quædam naturalia caussas habent necessarias, quâ ratione respectu nostri sunt immutabilia; quædam verò contingentes, quô modô non simpliciter sunt immutabilia naturalia, quia aliqua ex parte voluntati ac industriæ hominum sunt subdita, ut sine totali naturæ interitu emendari queant atque mutari, quod patet exemplô dextræ ab Aristotele l. V. Eth. c. 10. suppeditato, quæ naturâ valentior est sinistra; hæc tamen in quibusdam hominibus præstantior multò & agilior dextrâ esse solet. Quæ dein de mutabilitate juris proferunt, examinabimus §. 24. quando de immobilitate Juris naturalis agemus. Deinde *Carneades* in suâ disputatione, quam recitat *Lactant. l. V. Instit.* c. 17. dicit: *Jura sibi homines pro utilitate sanxisse, scilicet varia pro moribus, & apud eosdem pro temporibus sæpe mutata; jus autem naturale nullum esse.* Atq; hujus vestigia ex asse legit *Thomas Hobbes Anglus*, qui in Leviathan part. 2. c. 13. & 26. asserit, *hominem non ad aliud obligari, quàm ad sui ipsius utilitatem quoquô modo promovendam, hâc suadente contra-*

rium

riam nullas esse ad innocentiam, fidem, gratitudinem obligationes. Hinc & innocentes lædere, vel fidem frangere pro multò honestiori reputat, quàm contrarium facere, aut eô cedere, quô ipse incommodetur. Verùm nulla in discursu Carneadis videtur esse connexio. Non enim sequitur, Jura sibi homines pro utilitate sanciverunt; Ergo jus naturale nullum est. Loquitur enim de juribus, quæ humanâ constituuntur autoritate; naturale verò aliam agnoscit originem. Egregia hâc de re sunt verba, quæ *Cicero* l. 2. de Invent, n. 65. habet. *Initium juris*, inquit, *à naturâ ductum videtur: quædam autem ex utilitatis ratione aut perspicua nobis aut obscurâ in consuetudinem venisse; post autem approbata quædam, aut à consuetudine aut à verô utilia visa, legibus esse firmata. Ac naturæ quidem jus est, quod nobis non opinio, sed quædam innata vis afferat.* Porro, si nulla detur obligatio, nisi quæ natales ab utilitate repetat, vix occurret casus, in quô ad actionem quis obligaretur ex necessitate, cùm nullus ad utilitatem suam necessariò obligetur, eò quod ab eadem planè possit recedere, vel juri suoque emolumento nuncium mittere. At verò, si commodis pro nostro arbitrio renunciare licitum est, necessariò non obligamur, quod tamen in lege naturali obtinet. Conf. Illustris *Boeclerus* ad Grotii prolegom. de I. B. & P. p.46. *Robert. Charrock.* de Officiis c.2. n. 7. p.102. Tandem & *Hobbes* l. c. c. 25. Juris naturalis existentiam evertere conatur, quando asserit, *leges naturæ, quæ in æquitate, justitiâ, gratitudine consistunt & cæteris morum virtutibus, quæ ab iis dependent, non esse propriè LL. sed qualitates solùm ad pacem & obedientiam disponentes, cumque jam Resp. est instituta actualiter, tunc primum incipiunt esse Leges, quæ prius non erant.* Sed reponimus Hobbesio, falsum esse, quòd LL. naturæ pro Legibus propriè sic dictis non habeat. Illæ enim vim continent obligativam, quæ vel legem in esse suo constituit, vel essentiam proximè sequitur. Adhæc falsum etiam est, quòd LL. naturæ sint nudæ dispositiones ad pacem & obedientiã, & quod Legũ nomine non veniant, antequã à Magistratu ferantur. Leges enim naturæ non solùm pollent facultate disponendi, sed & obligandi gaudent potentiâ. Neq; etiã ad has requiritur, ut à supremâ potestate constituantur, cùm sufficiat obligatio ex intrin-

intrinsecâ proveniens necessitate, cujus respectu naturæ dictamina extra Rempublicam Leges possunt salutari.

VII. Atque his præmissis ad Juris naturalis definitionem nos accingimus, quam suppeditat *Philos. V. Eth.* c. 10, cui *Jus naturale* est illud, *quod ubiq; eandem vim habet, & non quia ita videtur, vel non videtur.* Quæ definitio rem præsentem satis declarat, & videtur esse à priori, quia fundamentum obligationis, quod non ex opinione, sed ex intrinsecâ desumit necessitate, exprimit. Ut autem felicius allatæ definitionis sensus omnibus innotescat, subjungemus *Gregorii de Valentiâ, Grotiiq; descriptiones*, utpote quæ non parum lucis huic materiæ videntur fœnerari. Et quidem *Gregorio de Valentiâ T. II. disp. VII. q. 4. punct. 1. jus* nostrum est *naturale rationis dictamen seu judicium, quô per lumen nobis ab æterna Lege impressum & inditum evidenter cognoscimus, ea esse facienda, quæ ita sunt recta, & naturæ nostræ consentanea, ut ea negligere sit deforme, & naturæ repugnans.* *Grotius* verò l. 1. de J. B. & P. c. 1. n. 10. describit per *dictatum rectæ rationis indicans actui alicui, ex ejus convenientiâ aut disconvenientiâ cum ipsa naturâ rationali, inesse moralem turpitudinem aut necessitatem moralem, ac consequenter ab autore naturæ Deo talem actum aut vetari aut præcipi.* In hâc tamen definitione, ut obiter moneamus, vir quidam magni nominis convenientiæ ac disconvenientiæ fundamentum, sed frustra, desiderat. Indicavit enim illud Grotius in prolegomenis, & n. XI. uberius declarat, ut ita neglexisse fundamentum Grotius non sit censendus.

VIII. Apposite verò Gregorius de Valentia & Grotius genus Juris naturalis constituunt *dictamen vel judicium rectæ rationis*, quod duplex asseritur, *absolutum & comparatum.* Illud est, quô aliquid in se & seorsim consideratum bonum vel malum judicatur. Comparatum autem est, quo quid cum aliis collatum rebus, circumstantiis omnibus expensis, uni atque alteri bonum vel malum judicatur. Sic e. g. depositum esse legitimo possessori reddendum, absolutum rectæ rationis dictamen secutus rectè quis judicat, de quô tamen aliter pronunciet necesse est, si judicium consulat comparatum. Ita enim depositum non esse reddendum ob intervenientes circumstantias judicatur, si ni-

mirum furibundus gladium depositum sibi restitui poscat, quô sibi vel aliis vim inferat, Patriæque paret interitum. Quando verò Jus naturale dicitur esse dictamen vel judicium rectæ rationis, indicatur Jus naturale non esse potentiam, neque habitum, prout multi asserunt, sed actum intellectus, quô discernitur & dijudicatur, hominique præscribitur, quid honestum, quid turpe, quid sit faciendum, quidve fugiendum. Est nempe Jus naturale actus intellectus, quia præcipit honestum, prohibet turpe, ac præscribit benè vivendi normam, quod ipsum nec potentiæ, neque habitui, sed actui convenit; ubi tamen tenendum est, non hîc sermonem esse de Jure naturæ quomodocunque spectato, sed prout in nobis est, & in actum deducitur. Si enim in actu primo consideratur, quatenus vel potentiâ, vel per modum habitus intellectui radicaliter inhæret, concedimus cum *Thomâ in* 1. 2. q. 94. art. 1. aliisque Jus naturale posse vocari, sed impropriè, habitum. Quo sensu & accipienda sunt, quæ de Lege naturali dicuntur, quod sit menti humanæ insita, exque ea nequeat deleri, & quæ alia sunt. Conf. *Tanner. Theol. Scholast.* T. II. disp. V. qv. 2. d. 2. f. 938.

IX. Ad materiam ex quâ properamus, quæ quidem in Jure nostrô non occurrit, cum sit accidens; ejus tamen locô assumitur *Subjectum* & *Objectum*. Quoad *Subjectur* igitur Juris naturalis, illud est duplex, vel *quod*, vel *quò*. *Subjectum* quod est *sola creatura rationalis libertate prædita*, vel *homo rectâ utens ratione*, quo & juxta *Tanner. Theol. Schol.* T. II. disp. V. q. 2. d. 2. f. 939. quodammodo referri possunt Angeli, qui juris naturalis secundum conditionē suæ naturæ non sunt expertes. Dicimus: *rectâ utens ratione*. Infantes enim à Juris naturalis actuali possessione excluduntur, cum destituantur actuali terminorum cognitione, neque etiam de illorum connexione possint laborare, multò minus dictamen rectæ rationis de honestis vel turpibus queant proferre. Sic, quia infans ignorat, qui vocentur Parentes, quid sit honorare, ignorat etiam illorum terminorum combinationem, neque propositionem hanc: Parentes sunt honorandi: intelligit, eamque oblata occasione applicare sustinet. Quamprimum autem in infante usus rationis sese exerere, & sensuum ope simplices terminos apprehendere incipit

pit, jure naturali obligari dicitur infans, adeoque subjectum Juris naturalis constituitur. Quando verò sola creatura rationalis Subjectum Juris naturalis pronunciatur, excludi patet bruta, utpote in quæ Jus naturale, prout à nobis hîc consideratur, non cadit, nec cadere potest. Sic & neque inanimata Juris naturalis sunt capacia, prout asserere videntur, qui formalem Juris naturalis rationem convenientiam cum appetitu statuunt, in quorum sententiam inclinat *Thom. Campanella Part. II. Phil. Mor. Epilog. c. 6.* cùm inquit; *de naturali Sol oritur, & homo manducat, quoniam ortus Solis fini naturæ, qui est rerum illustratio & generatio; & hominis manducatio fini suo, qui est conservatio fidei: & coitus est de Jure naturæ, quia æquatur conservationi.* Sequitur *Subjectum* quò, quod est *anima nostra*, quam usitata Scripturæ phrasi *Paul. ad Rom. II, 15.* καρδίαν appellat, quando de gentilibus refert, quod habeant ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν. Quoniam vero duæ animæ rationalis sunt facultates, *Intellectus* ac *voluntas*, videndum, cui inhæreat Jus naturale. Supra in §. 8. vidimus, jus naturale esse actum intellectus, hinc & illud in intellectu eoque practico suum posuisse domicilium asserimus. In intellectu enim termini illi, ex quibus prima ac communia constant principia, sensuum beneficiô apprehenduntur, quibus apprehensis propositio conficitur practica, rem prohibendam subjecti loco collocans, prohibitionem verò ipsam in locum prædicati substituens, quæ propositio formata dein per intellectum sine ullo externo doctoris ministerio actibus moralibus applicatur.

X. Cùm verò omnis Lex sit mensura actuum moralium, quos respicit ut materiam & objectum, hoc etiam in Lege naturali licet observare, ideoque ad ejus objectum progredimur. *Objectum* itaque *Juris naturalis* est *bonum per se, honestum*, vel ad honestatem necessarium, & malum illi contrarium, ideoque illud necessariò faciendum, adeo ut negligere sit deforme & naturæ nostræ repugnans; hoc autem necessariò vitandum, ita ut malum perpetrare sit turpe, & naturæ rationali non conveniens. Dicitur: *bonum honestum:* Bonum enim utile & jucundum, objectum moraliter bonum constituere semper ne-

queunt, cùm & sint actionis moraliter malæ objecta. Dividunt autem quidam præcepta Juris naturalis in affirmativa, & negativa, & dicunt objectum juris naturalis *quoad præcepta affirmantia* esse omnium virtutum actiones, quæ quoad specificationem vel modum, quô fieri debent, sub Jus naturale cadunt, licet non omnes simpliciter & quoad exercitium præcipiantur. Notanter dicitur: *actiones omnium virtutum:* Licet enim jure naturali omnis omnino teneatur homo, ut omnium virtutum actionibus sedulam navet operam, non tamen ad omnes actiones omnium virtutum obligatur. Jus siquidem naturale non omnes præcipit actiones, cùm multæ liberè & sine obligatione suscipiantur, plurimæ etiam ex præcepto, vel divino, vel humano. Atque talismodi actiones sunt omnes eæ, quæ ex virtute Heroica proveniunt, ad quas, licet sint speciosæ, nemo obligatur. Parili modo cibo & potu ex Magistratus mandatô abstinere est actio virtutis, non tamen quis ad ea observanda præcepto Juris naturæ, sed humanô, obligatur. Hinc *Thom. in 1. 2. q. 94.* art. 3. actus virtutis secundum se ipsos consideratos non pertinere ad Jus naturæ asserit. Considerat enim illos *virtutum actus secundum rationem virtutis, in quantum sunt virtuosi, & in quantum sunt tales actus in propriis speciebus considerati*, cujus distinctionis geminus à *Suaretzio l. II. de LL.* c. 7. n. 11. assignatur sensus: (1) omnis virtutis actum secundum suam rationem specificam spectatum posse cadere sub præceptum Juris naturæ, non solum modum, sed & exercitium actus præcipiens: si autem considerentur in individuo omnes cujuscunque virtutis actus, tunc non omnes actus virtutum esse in præcepto naturali, quod patet de quibusdam actibus, qui licet non sint præcepti, tamen sunt liciti ac honesti. (2) Sensus esse potest, actum virtutis considerari posse vel materialiter, vel formaliter, quô ultimo modo de virtutis actu concedere Thomam ait Suaretz. l. c. cum respiciat honestatem. Conf. *Hornej. Phil. Mor. l. IV.* c. 3. n. 28. *Scheurl. diss.* de LL. n. 25. Secus verò se res habet cum *præceptis juris naturæ negativis*, ubi actiones omnes virtuti contrariæ ad objectum juris naturalis sunt referendæ. Licet enim

detur

detur bona quædam actio, ad cujus executionem non obligeris, nulla tamē est à virtutis opposito vitio resultans, quin homo ad vitandam eam & fugiendam obligetur. Omnia ergo vitia sunt contra naturam & Legem naturæ, largius accepto termino contra naturam. *Natura* enim *hominis*, monente Thomâ l. c. vel dici potest pro eâ, *quæ illi est propria*, *recta* nimirum *ratione*, quæ agenda & fugienda definit, quô modô omnia peccata, in quantum sunt contra rationem rectam, dicuntur esse contra naturam. Vel sumitur *natura hominis* pro eâ, quæ est *communis homini & brutis*, quâ ratione specialia quædam peccata dicuntur esse contra naturam, ut Sodomia vel alia execranda libidinis crimina, quæ non rectæ solùm rationi adversantur, sed & naturali brutorum inclinationi, quam cum brutis communem habet homo, repugnat. Conf. *Thom.* in 1. 2. q. 71. art. 2. *Tanner. Theol. Schol.* T. II. disp. IV. q. 1. dub. 2. f. 603. & disput. V. q. 2. d. 2. f. 943. *Azor.* l. IV. Instit. Moral. c. 1. f. 295.

XI. Ex hisce constat (1.) quòd *præcepta virtutum supranaturalium*, sive sint affirmativa, sive negativa per se ac immediatè non pertineant ad objectum juris naturalis, quia ea per naturalem notitiam sepositâ revelatione evidenter cognosci nequeunt, mediatè tamen & in sensu, ut loquuntur Scholastici, compositô præcepta illa ad Legem naturalem spectare dici possunt, quatenus recta ratio dictitat, ejusmodi præceptis morem esse gerendum, quô & respectu de humanarum Legum præceptis pronunciatur, quod sub Juris naturalis objectum possint cadere. (2) Ex supra dictis liquet, quod *indifferentia*, quæ in se nec moraliter bona vel mala sunt, sed pro varietate circumstantiarum ac voluntate legislatoris jam bona, jam mala fieri possunt, ad objectum Juris naturalis neutiquam spectent, cùm ea, quæ objectum Juris naturalis constituunt, per se, intrinsecè ac suâ naturâ bona vel mala sunt, & sine peccato omitti nequeunt. Hinc est, quòd conjunctio maris ac fœminæ, sobolis procreatio atque educatio, aliique actus naturales, quatenus tales, ad objectum Juris naturalis non sint referendi. Dicitur: *quatenus tales:* Illi enim, annotante *B. Slevogtio* diss. de Causâ Morali §. 77.

considerari possunt, vel *in genere naturæ*, vel *in genere morum*; Priori modo nullam in se continent moralitatem, neque sub Legem aliquam, multo minus naturalem, cadunt. Si verò certis circumstantiis actiones illæ conspiciantur stipatæ, non amplius sunt merè naturales, sed quid moralitatis includunt, ideoque ad Legem aliquam spectant.

XII. De *præceptis secundæ Tabulæ* in decalogo quidam movent dubium, num ea ad Jus naturale pertineant? Ex sententia *Scoti* in 3. d. 47. q. unic. dispensari posse in præceptis Tabulæ secundæ asserentis constat, eum hæc præcepta eximere è numero præceptorum Juris naturalis. Hinc concludit, septem illa præcepta non esse conclusiones, quæ inferantur absolutâ necessitate ex principiis per se notis, sed solùm habere convenientiam maximam cum naturâ hominis, ut illi præcipiantur vel prohibeantur. Verùm hæc Scoti sententia suo nequit stare talo. Si enim præcepta secundæ Tabulæ ad Legem naturalem non spectarent, gentes ante Legem à Mose sancitam atque latam non fuissent iis obligatæ, quin & post legem promulgatam præcepta illa gentes non obligassent, quippe quibus Lex Mosaica non erat lata, cujus tamen contrarium testatur Paulus ad Rom. II. 15. Conf. *Suaretz* l. 2, de LL, c. 15. n. 9.

XIII. Referunt & quidam ad Juris naturæ objectum *actus concupiscentiæ internos*, Sed, quid de hoc sit sentiendum, aliorum relinquimus judicio, cum talia revelationi divinæ sint ascribenda. Hoc tamen addimus, motuum involuntariorum pravitatem Philosophis gentilibus aliquatenus innotuisse, quod pluribus probatum dedit testimoniis *Marc. Frid. Wendelinus in Philos. Mor* l. 1. c. 3. §. 71.

XIV. Sicut autem intellectus theoreticus suis gaudet principiis primis & indemonstrabilibus, ex quibus conclusiones deducit theoreticas; similem in modum comparatum est cum intellectu practico, qui principiis honesti & boni practicis non destituitur, & inde conclusiones elicit practicas. Hinc in Jure naturali occurrunt *primò principia suâ* naturâ & per se nota, indemonstrabilia, communia, apud omnes immota, qualia sunt, bonum est faciendum, malum fugiendum &c. *Deinde* dantur

con-

conclusiones ex principiis illis practicis interventu rationis & per discursum deductæ, quæ in duplici sunt differentia: Aliæ enim sunt *communes*, quæ immediatè, promtè & evidenti necessitate ex principiis fluunt & eliciuntur, quas quidam pro ipsis habent principiis; aliæ sunt *propria*, quæ nonnisi per diligentem sapientum inquisitionem ex primis principiis eruuntur, e. g. ponamus principium hoc Juris naturæ, neminem lædito, ex quo immediatè & necessariò conclusio hæc communis, non occidas, deducitur, mediatè vero & paulò remotius conclusio hæc propria, furioso arma ne tradas aut obseras.

XV. Quæritur autem, an *Conclusiones & communes & propria ex* principiis Juris naturæ elicitæ, ad objectum Juris naturalis pertineant? Sunt, qui hoc ipsum negant statuentes, conclusiones illas non esse referendas ad objectum Juris naturalis, prout quidem se res habet cum principiis, quod ut evincant, adducunt (1) quod jus illud, quod versatur circa conclusiones, mutari possit & abrogari. (2) quia hac ratione omnes actus virtutum ab hominibus præcepti spectarent ad Legem naturalem, eò quod per discursum inde eliciuntur. Verùm enim verò consona magis vero illorum est opinio, qui omnes conclusiones & communes & proprias ad objectum Juris naturalis pertinere asserunt, quia, si principia, quæ bonum ac honestum præcipiunt, & malum prohibent, ad objectum Juris naturalis spectant, etiam conclusiones ex iis deductæ ad id objectum spectabunt. Veritas enim principii in conclusione continetur, & qui unum præcipit vel prohibet, hunc etiam omnia præcipere ac prohibere necesse est, quæ sub eo comprehenduntur. Quin imò lex nostra naturalis magis exerceri conspicitur in conclusionibus, quàm in principiis. Adhæc præcepta Decalogi utriusque Tabulæ ad Jus naturale pertinent, quorum tamen quædam non sunt principia per se nota, sed ex iis deducta, quæ prolixô indigent discursu.

XVI. Et hæc de objecto, nunc ad *formam* nobis est transeundum. Est autem *forma juris naturalis*, per quam materia necessaria accipit esse Juris naturalis, *vis obligatoria* vel *præscriptum obligatorium*, in cujus fundamento inquirendo valdè

dè desudant autores. *Grotius de J. B. & P. l. 1. c. 1. n. 10. Selden. de Jure Nat. & Gent. l. 1. c. 8.* aliique originem obligationis, quæ in jure naturali datur, ab *imperio* & *voluntate DEI*, naturæ autoris, arcessunt, & jus naturale obligare dicunt, quia à DEO est sancitum. Ut autem suam confirment sententiam, præsupponunt vulgare illud, *jus id esse, quod legislatori placuit.* Actiones enim hominum esse bonas ac justas, quia voluntati atque imperio Superioris sunt conformes, sibi habent quàm maximè persuasum. Atque hoc ad præsens applicant negotium arbitrantes, Jus naturale ideò esse jus, quia DEO placuit, ejusque voluntati actiones congruunt. Verum huic opinioni nostrum non possumus adjicere calculum. Falsa enim est illa propositio: *Jus est, quod legislatori placuit*, si de jure in sua generalitate accepto intelligatur, quod patet exemplo Tyranni Nomothesiâ Majestaticâ instructi, cui homicidia, rapinæ, incestus aliique actus honestati naturali repugnantes arridere possunt, ut præcipiantur subditis, exinde tamen nequaquam conficitur, actus jam nominatos absolutè nomen titulumvè juris obtinere, aut subditos obligare. Adhæc ad productionem & obligationem juris non sufficit voluntas legislatoris, sed & requiritur, ut cum rectâ congruat ratione. Hinc Lex injusta non est Lex, quia ratione destituitur, neque obligat, licet voluntatem impensissimam, ut observetur, Princeps foveat. Tertiò, alia est ratio Legis naturalis, alia humanæ. Hæc, si conformis est rectæ rationi, obligat, quia Magistratui ita placuit indifferens objectum licitum vel vetitum statuere; in jure verò naturali tale quid legislatori non permittitur. Quod verò applicationem concernit, Jus scil. naturale eam ob causam esse jus & obligare, quia DEO ita placuit, ea non videtur admittenda. Ea enim, quæ hac Lege præcipiuntur, vel prohibentur, eo nomine non sunt honesta vel mala, quia à DEO mandata vel prohibita, sed, quia per se ac suâ naturâ sunt bona vel mala, ob necessariam & inevitabilem convenientiam vel disconvenientiam cum recta ratione vel natura rationali, ideo à DEO sunt præcepta ac prohibita. Imo, si ex hypothesi impossibili DEUS non esset, vel nulla daretur lex divina prohibens aut indicans

dicans

dicans homicidium ; vel aliud quodvis facinus esse turpe ac fugiendum, nihilominus homicidium vel aliud quid turpe esset ac intrinsecè malum, eô ipsô, quòd rectæ rationi & naturæ rationali adversetur, sicut in naturalibus res, quæ per se sunt veræ, manent veræ, licet à DEO veræ non pronuncientur, aut planè DEUS in rerum naturâ non existat. Uberius hoc ipsum declarat *Dn. D. Caspar Ziegler in Exerc. III. de Jur. Maj. §. 25*, cujus verba ascribi merentur : *Jus istud naturale, quod inest vel adest DEO in ordine, & revelatione ad hominem, antecedit in signô rationis divinæ liberam ejus voluntatem, ita ut illud deponere, aut ejus oppositum decernere non possit. Sed inde tamen non conficitur, imperium istud causam esse & fundamentum omnis bonitatis ac malitiæ, sive quod eodem recidit, nihil esse in se ac suâ naturâ justum vel injustum, nisi supposito præcepto vel interdicto superioris. Hôc enim datô unum & idem, quatenus DEus vult, quia nonnisi bona velle potest, bonum erit, quatenus non vult, quia nonnisi mala nolle potest, malum erit. Per consequens poterit DEUS velle & præcipere, ut homo sibi non obediat, se non cognoscat, colat religiosè, honoret tanquam DEum, sed diabolum: huic fidat, hunc amet ex totô corde, ex omnibus viribus: Deum verò unum & trinum odiô habeat, abneget, blasphemet.* Hæc ille. Conf. *Gab. Vasquez in 1. 2. q. 90. art. 1. Tanner. Theol. Schol. T. II. disp. IV. q. 1. d. 4. f. 618.*

XVII. Alii *fundamentum obligationis*, quæ Legi naturali inhæret, quærunt in *convenientiâ ac disconvenientiâ cum appetitu*, jusque naturale ideo obligare volunt, quia convenit, vel disconvenit cum appetitu. Sed, neque hi ullum merentur assensum. Ex hâc enim convenientiâ vel disconvenientiâ cum appetitu non provenit aliqua obligatio, sed saltem bonitas quædam vel malitia, quæ tamen cum moralitate non semper est conjuncta. Ut taceamus quamplurima absurda, quæ ex hac videntur propullulare opinione ; Sic enim edere, bibere, dormire, rapinas, cædesque exercere, scortari, incestuosos ambire concubitus, essent juris naturalis, quod sine insigni absurditate vix potest asseri. Conf. *Joh. Frid. Hornius in tr. de Subjecto Juris Nat. c. VIII. n. 8.* sequ.

XVIII. Nonnulli denique *obligationem Juris naturalis*, quæ eſt *à priori*, dependere *à naturâ rei* vel *objecti* ſtatuunt, quibus & nos accedimus. Cum objecto enim Juris naturalis, quod eſt bonum vel malum intrinſecè tale, ita eſt comparatum, ut facultatem in ſe contineat obligativam, neque aliunde, ut Ll.. humanæ, petat. Hinc ab hâc objecti naturâ comparatâ cum hominis perfectione, quæ in intelligentiâ ac libertate conſiſtit, provenit, ut homo neceſſariò obligetur ad bonum faciendum, malumve fugiendum. Atque hoc ipſum eleganter expreſſit *Philoſophus* in ſuâ definitione, quando de Jure naturali ſcribit, quod *ubique eandem vim habeat, & non quia ita videtur, vel non videtur*. Et obſervatu digna eſt vox δοκεῖν, quæ aliàs de Lege humanâ poſitivâ adhibetur, prout videre licet ex *Platone in Minoë*, qui *legem civilem* ſalutat δόξαν τῆς πόλεως: hîc verò à Lege naturæ removetur, dum dicitur ὐ τὸ δοκεῖν, ἢ μὴ i. e. *non pendet ab* opinione *vel arbitriô hominum, ut hic vel ille ſtatuat hoc eſſe bonum, illud turpe, hoc eſſe faciendum, iſtud vitandum*, quod & *Cic. l. 2. de Inv. n. 65.* innuit ſcribens: *Jus naturale eſt, quod non opinio hominum, ſed innata vis affert.* Neque ab hâc ſententiâ diſcedit *Ludov. Molina T.I. de Juſtit. tr.1. c. 2.* quando de obligatione Legis naturalis ait, quod oriatur *ex naturâ rei, & inde ſe in præceptum diffundat.*

XIX. *Obligat* autem Jus naturale *omnes omnino homines*, cujuscunque ſint ſtatus & conditionis, *rectâ utentes ratione.* Cùm enim omnibus principia illa practica ſint indita, non poteſt non etiam omnes obligare, unde & communia dicuntur ad exprimendam univerſalitatem competentiæ. Dicitur: *rectâ utentes ratione.* Jus ſiquidem naturale apud ſanâ mente præditos nunquam ceſſat aut deficit, ſed tamdiu permanet & obligat, quamdiu quis ratione quacunque utitur. Ex quô patet, quid de *furioſis* ac *mente captis* ſit ſentiendum. Conſtat etiam, quòd *infantes* ob rationem ſupra in §.10. expoſitam ab obligatione legis naturalis excipiantur, quæ tamen initium ſumſiſſe cenſenda eſt, ſimul ac rationis uſus in iis ſeſe exerere incipit. Ab hâc verò obligatione nec *Princeps* liber & immunis eſt reputandus, cùm, ut commune Politicorum habet dicterium, Majeſtas Le-

ge

ge naturæ non sit soluta. Princeps enim, quatenus ut homo consideratur, æquè ac alii hominum, respicere tenetur, non tàm quid liceat, quàm quid fecisse deceat, quidve naturali rationis dictamini sit consentaneum, quod ipsum & à matre *Dionysio Siciliæ Tyranno* est objectum, cum illi stuprum inferre vellet: *Tyrannum quidem Leges civiles posse mutare, sed jura naturalia mutare, aut prorsus tollere nullô modo posse.* Hinc impiè Regi Persarum *Cambysi* contra Persicæ gentis consuetudinem germanam suam in matrimonium ducenti, & de jure, quod nuptialia cum sorore vincula nectere permitteret, sciscitanti, judices regii & consiliarii, ex metu forsitan Tyrannidis id dederunt responsi; *nullam quidem Legem de conjugiô cum sorore contrahendo apud Persas se invenire, sed aliam se reperisse, quâ Regibus Persarum liceret, quicquid liberet,* ut testatur *Herodotus in Thalia.* Cui simile est & illud *Juliæ* novercæ Imperatoris *Antonini Caracallæ* responsum, quæ, cùm privignus eam incestaturus diceret, *se velle, si liceret,* respondit, *licere, si liberet, an nesciret, se esse Imperatorem, & Leges dare non accipere,* prout testis est *Spartianus in ejus vita.*

XX. Quod verò Jus naturale unum sit & apud omnes semper obtineat homines, eosque obliget, vel ex eo redditur manifestum, quod, sicuti una est omnium hominum natura specifica, ita & quod natura dictitat, præprimis si *ad communia principia* respiciatur, omni tempore apud omnes obtinet homines & unum est. Dicitur: *communia principia.* Si enim assumantur *conclusiones & communes & propriæ*, lex naturæ non eadem semper & una fuit apud omnes gentes, ut pluribus deinde ostendemus. Sunt quidam, qui *præcepta Juris naturæ* dividunt in *affirmativa & negativa*, quæ juxta *Suaretzium l. II. de LL. c. X. n. 1.* & differunt, & conveniunt. Illud, quia negativa implentur sine ullo actu, quem tamen affirmativa requirunt; conveniunt verò quodammodo, quod, sicut præcepta affirmativa, nonnisi quod honestum est, præcipiant, ita & negativa, nonnisi quod malum est, prohibeant. Applicant itaque dictam divisionem dicendo, *negativa præcepta* eadem *semper* esse, & fuisse in omni statu, quia prohibent actiones intrinsecè malas, quæ proinde

in omni statu malæ sunt, obligant etiam *pro semper*, & ideo in omni statu obligant, si illorum materia occurrit; Quoad vero *præcepta affirmativa*, ea, cùm & res intrinsecè bonas præcipiant, obligant, tamen quia non obligant pro semper, fieri potest, ut in uno statu obveniat occasio quædam præcepta exequendi, in aliô vero alia. Conf. *Suaretz l. 2. de LL. c. 8. n. 9.*

XXI. De obligatione cùm adhuc simus solliciti, de duplici obligatione, quâ *Lex* vel *ad culpam* obligat, & dicitur *obligatio in forô conscientiæ*, vel *ad pœnam*, & vocatur *obligatio in forô externo*, quædam addere placet. Hinc de *Lege naturali* quæritur, *an iis, quos assignavimus modis, vim habeat obligandi?* Legi equidem naturæ quin competat obligatio, quæ est in forô conscientiæ, nullus dubitat, quod & *Paulus* de gentibus in *Epistolâ ad Rom. II. 15.* testatur, quando scribit: *qui ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis, simul attestante illorum conscientiâ & cogitationibus inter se accusantibus, aut etiam excusantibus.* Dubitare tamen videtur *Gerson*, cùm in *tr. de vit. spirit. lect. 14. Alphab. 62. lit. G.* legem naturalem, ut talis est, obligare ad culpam inficiatur. De *obligatione* verò *ad pœnam* res paulò videtur esse intricatior, cùm quidam obligationem naturalem, sicut nullam parit actionem, ita nullum inferre pœnæ metum asserunt, quos solidè refutavit *Selden. de I. N. & G. l. 1. c. 4.* Ut paucis nos expediamus, dicimus Legem naturæ obligare etiam quoad pœnam, ubi tamen distinguimus inter *reatum vel dignitatem pœnæ, & actualem ejusdem inflictionem.* Quoad reatum pœnæ, illum lex naturæ dictitat. Dum enim præcipit bona esse facienda & fugienda mala, simul obligat ad obedientiam, pœnaque, quâ crimen patratum vindicetur, dignum judicat transgressorem, quia obligationem à Lege naturali impositam non observavit. Et sanè, nisi punire simul prævaricatores juberet lex naturæ, aut ad pœnam obligaret, frustra præciperet honesta esse agenda, & turpia fugienda. Lex siquidem sine obligatione ad pœnam maximè imperfecta judicatur. Quod notandum est contra *Grotium, qui l. II. de I. B. & P. c. 20. n. 1.* Legem naturæ non præcipere, ut delinquentes puniantur, sed quò minus fiat, vetare existimat. Vide *Dn. D. Ziegl. ad l. c.*

Gro-

Grotii p. 414. Cùm autem dicitur, Legem naturæ pœnam di-ctitare, id non eſt ita intelligendum, quaſi Lex naturæ *modum pœnæ* aut *ejus quantitatem taxet ac præſcribat.* Licet enim juris naturalis violationem ſequatur reatus pœnæ; ratio tamen naturalis genus pœnæ nequit definire, ſed pœnam determinandam relinquit Legibus divinæ & humanæ. Quòd verò *actualem pœnæ inflictionem* attinet, eam lex naturæ non exequitur, *immediatè*, ſed *ordinariè & mediatè* facultatem & jus puniendi concedit Magiſtratui, qui virtute legis motus obligatur ad pœnam infligendam ei, qui ſuâ inobedientiâ reatum pœnæ incurrit, quod tamen de pœnâ externâ & corpori inflictâ eſt capiendum. Interna enim, qualis eſt ſollicitudo, anxietas, metus & quæcunque alia, remanet, majoremque exercet ſævitiam, quam & expertus eſt *Catilina*, dum necato filio vacuam ſceleſtis Oreſtillæ nuptiis fecerat domum, de quo refert *Saluſtius*, quod *animus ejus impurus diis hominibusque infeſtus, nec vigiliis, nec quietibus ſedari potuerit, ita conſcientia mentem exagitatam vaſtabat. Igitur color ejus exanguis, fœdi oculi, citus modo, modo tardus inceſſus, prorſus in facie vultuque vecordia inerat.* Conf. *Suaretz l. 1. de LL. c. 15. n. 13. 14.*

XXII. Cùm verò Lex nulla vim habeat obligandi & obliget, niſi eadem ſit promulgata, ut in omnium notitiam pervenire potuerit, cùm, ſi nulla ſit legis cognitio, nulla etiam obtingat prævaricatio, quæritur, *an & quomodo Jus naturale promulgetur*? Hîc ante omnia notandum eſt, quid vox *promulgandi* ſignificet. *Promulgari propriè* quid dicitur, *quod vivâ voce aut ſcriptò externo innoteſcit.* Unde promulgatio propriè ita dicta Juri naturali non videtur eſſe tribuenda, quia voce vivâ aut ſcripto externô nobis non innoteſcit. Neque etiam Lex naturæ, ut omnes obliget, aliquâ indiget promulgatione, cùm & ipſa intrinſecam in ſe contineat obligandi neceſſitatem, eâque omnes teneantur homines, licet non promulgetur, ſicut ſi Regis cujusdam Lex tantæ eſſet virtutis, ut nullâ accedente promulgatione ſubditos poſſit obſtringere, nulla neceſſaria eſſet promulgatio. Quoad autem *Thomas in 1. 2. q. 90. a. 4.* dicit, Legem naturæ eô ipsô promulgari, quod Deus eam men-

tibus hominum inſeruerit naturaliter cognoſcendam, de *promulgatione impropriâ* eſt accipiendum.

XXIII. *Modum promulgationis* quod ſpectat, in eô determinandô non conveniunt autores. Sunt enim, qui principia illa practica eorumq; *notitiam actualem* connaſci, & à primis ſtatim incunabulis homini *actu* adeſſe crediderunt. Alii vero placita illa naturæ prima à nativitate ſtatim quidem homini adeſſe *potentiâ*, aſſerunt, eorum tamen *notitiam* eſſe *acquiſitam*, quæ initium ac incrementa ſumit, ſimul ac ratio ſe exerere incipit, & dici *naturalem*, non quod *actu* nobis connaſcatur, ſed quia à naturâ ejusque principio, quod eſt vis intelligendi ac cognoſcendi, procedit, quâ principia ejusmodi practica, ratione ſe exerente ſine diſcurſu, aut Parentum vel Præceptorum inſtitutione, cognoſcere eorumque veritatem apprehendere poſſumus. Plura videre poteſt, qui eruditionem ſuam hâc in parte augeri deſiderat, apud Excell. *Zeiſold. in tr. de Notit. Natur.* paſſim.

XXIV. Expeditâ materiâ de obligatione tranſimus ad *immutabilitatem legis naturæ.* Obſervandum vero *mutationem Legis* juxta Scholaſticos obtingere tribus potiſſimum modis, primò per *additionem*, deinde per *ſubtractionem*, & denique per *deletionem.* Quoad priorem modum, Lex naturæ omnino eſt immutabilis. Licet enim huic multa ſaluti hominum inſervientia per Leges divinas & poſitivas fuerint adjecta, & adhuc adjiciantur, nulla tamen exinde exſurgit Legis naturalis mutatio, prout quidem colligit *Thomas in 1. 2. q. 94. a. 5.* ſed ille acceſſus eſt ſpecialis concluſionis ex lege naturæ deductio. Neque quoad alterum modum lex naturæ videtur eſſe mutabilis, quô quid deſinit eſſe de jure naturali, quod prius fuit ſecundum illud. Hoc enim *ratione objecti & adæquatè* ſpectatum, nec à *DEO*, neque ab *homine* poteſt abrogari aut tolli. *Non à DEO*, quia, quæ ſunt impoſſibilia, qualia ſunt bonum prohibere ac malum præcipere, ſub potentiæ divinæ objectum non cadunt, adeoque à Deo lex naturalis nequit mutari. Adhæc, bonitati ſupremi Numinis ejusque ſanctitati repugnaret, ſi, quod intrinſecè eſſet bonum, faciendum hominibus præciperet, aut

quod

quod suâ naturâ est malum, sectandum injungeret. Et sanè, si abrogationi lex naturæ subjaceret, ipsa sanctitas divina mutaretur, quæ si admitteret variationem, DEUS non esset DEUS, quod dictu blasphemum, cogitatu impium est. Sic, si assumatur præceptum de *non colendo alieno DEO*, hoc respectu DEI est immutabile. DEUS enim nullo modo alium potest constituere DEUM, vel facere quid, quod æquali honore sit dignum. Neque etiam ab *homine* Lex naturæ potest mutari, cùm & hîc facere nequeat, ut objectũ intrinsecè bonũ fiat malũ & contra. Rerum enim naturæ & substantiæ ab humanâ potestate nequeunt mutari. Hinc patet, quod Lex naturæ ejusque obligatio per *Legem humanam* neque ex *toto*, neque ex *parte* à materiâ Legis adæquatè spectata tolli possit. Jus enim naturale est fundamentum humani, quod illi nequit derogare, aliàs suum destrueret fundamentum, quin & se ipsum everteret. Scilicet, si humanum naturali posset derogare, posset aliquid contra illud statuere, quod fieri nequit, cùm, si Jus humanum contrarium quid Juri naturali sanciret, jus humanum non esset Lex, quia injusta præcipit. Neque exempla, quibus legem naturalem humanâ fuisse mutatam probant, quid evincunt, cùm in iis non ipsa lex naturalis, sed legis naturalis materia variatis rerum circumstantiis sit mutata. Dicitur autem: *adæquatè. Lex* enim *naturæ* ejusque *præcepta* dupliciter spectari possunt, *materialiter* vel *inadæquatè*, & *adæquatè secundum omnes circumstantias, secundum quas obligant*, sicut depositum est reddendum eô tempore, locô, modo, quibus convenit. Si ergo *adæquatè* consideratur lex naturæ, nulla in eâ potest contingere mutatio, ut jam demonstratum. Aliter verò se habet, si spectetur Lex naturæ *inadæquatè*. Hoc enim modo, si scil. materia & debitæ circumstantiæ non permaneant, & actio ab obligatione subtrahatur, lex naturæ mutatur, quæ tamen *mutatio* est *impropria, per solam denominationem extrinsecam* ratione mutationis, quæ in materiâ fit, sicut *pater* per mortem *filii* desinit esse *pater*, quæ desitio in parente non est mutatio, sed per modum mutationis à nobis concipitur. Conf. *Suaretz l. 2. de LL. c. 13.*

XXV.

XXV. Accedimus tertium mutationis modum, qui fit per *deletionem*, juxta quem Lex naturæ est partim *immutabilis*, partim *mutabilis*. *Immutabilis* est, si assumantur *principia* ejus *prima*, quæ ignorari nequeunt. Hæc enim ex mente hominis *ordinariè* non possunt deleri aut extirpari, ita, ut non interdum in homine etiam omnium, quos terra sustinet, sceleratissimo cogitationibus sese exhibeant, ejusque lacessant conscientiam; & si delerentur, rationem ipsam amissam rectè quis existimaret. Fuerunt equidem multæ gentes, imò integræ nationes, in quarum animis principia illa communissima fuisse extincta sibi quis persuaderet, cujus rei multa suppeditant exempla *Calixt. Epit. Phil. Mor. tr. de LL. p. 50. & Rob. Charrokius, Anglus tr. de Offic. c. 3. n. 3. p. 147. seqq.* probabile tamen non est, à mente illarum gentium principia illa ita esse abolita, ut non interdum aliquibus unum vel alterum ex iis principiis obvenerit, & per lumen naturæ sit manifestatum. Ad hæc, aliud est *latuisse illa principia*, aliud *prorsus esse deleta*. Malitia enim hominum ea, ne apparuerint, potuit supprimere, penitus delere non valuit, sicut sol non perire censendus est, licet ob interpositas nubes non videatur. Jam verô ignorantia vel error circa præcepta quædam nullam infert mutationem aut deletionem. Quæritur autem, an *ignorantia præceptorum naturalium sit invincibilis?* Multi id affirmant, quos allegat *Suaretz l. II. de LL. c. 8. n. 7.* Rectius tamen contrarium asseritur, naturalia illa præcepta, eaque prima non posse invincibiliter ignorari, cùm omnibus, qui rectâ ratione sunt præditi, patescant, quorum ideo ignorantia non facile potest prætendi. Particularia vero, quæ facili negotiô ex principiis eliciuntur, ignorari quidem possunt, non tamen sine culpæ crimine, si præprimis longa intercedat temporis intercapedo, quô principia illa potuerunt addisci. Ea autem, quæ majori indigent discursu ac labore, invincibiliter possunt ignorari, quod in plebe plus vice simplici occurrit. Deinde, *mutabilis* est Lex naturæ, si attendantur *præcepta particularia* ex generalibus deducta. Hæc enim ex mente hominis possunt deleri ac ignorari, ita ut ratio contrariis particularium præceptorum conclusionibus consen-

ſentiat, & dictitet rem per ſe turpem ac malam eſſe licitam. Hujus autem rei aliæ atque aliæ dantur cauſæ. Nam *ingenii imbecillitas*, quâ concluſiones ex principiis primis elicitas non ita facile cognoſcunt & applicant homines, non parum confert operæ. Sic & *pravæ naturæ diſpoſitioni, perverſæ educationi & conſuetudini inveteratæ* multum eſt tribuendum, quibus accedit *animus vitioſis expoſitus affectibus & mala* deniq; *perſuaſio*, quod & expreſſit *Juſtinus in colloquio cum Tryphone*; ὑπὸ ἀκαθάρτου, inquit, τοῦ πνεύματος ἐμπεφορημένοι καὶ ὑπὸ φαύλης ἀνατροφῆς, καὶ ἐθῶν φαύλων, καὶ νόμων πονηρῶν διαφθαρέντες τὰς φυσικὰς ἐννοίας ἀπώλεσαν; *i.e. ab impuris ſpiritibus abrepti & per malam educationem, inſtituta prava & leges iniquas corrupti naturales notiones perdiderunt.* Atq; hinc eſt, quòd Lege naturæ oppresſæ multæ gentes aut planè ignorarint, quæ Jus naturæ docuit, aut approbarint, quæ cum eodem manifeſtè pugnant, ſicuti conſtat de majoribus noſtris *Germanis* frequenter latrocinia exercentibus. Ità *Leges Platonis, Britannorum, Cabadis Regis Perſarum* mulierum probabant communionem, & ſeniores ab altiſſimis præcipites dare montibus *Tribunorum* ſancita permittebant, fœminas quoq; ex maritis alienis ſibi filios comparare *Lycurgi* Leges concedebant, ut alia de ἀνθρωποφαγίᾳ, ἀνθρωποθυσίᾳ, innuptisq; thalamis prætereamus exempla, quorum amplam farraginem ſuppeditant ſupra laudati *Calixtus & Charrockius l. c.* Conf. *Thomas in l. 2. q. 99. art. 7. & Medina in l c. f. 501.*

XXVI. Cùm vero per *diſpenſationem* legis obligatio aliquâ ex parte poſſit tolli, ad eam nunc progredimur conſideraturi, *an in lege naturæ inveniat locum*? Quod negotiũ facili ratione expediemus, ſi de ſignificatione τοῦ *diſpenſare* prius nobis conſtiterit. *Diſpenſare* ſcil. *de Lege aliquâ*, docente *Greg. de Valent. T. II. diſp. VII. qu. 4.* eſt, *cùm quis vel eximitur per privilegium à principio, ut non obligetur, qui aliàs obligaretur, vel poſtmodum in certô caſu liberatur ab obligatione, quâ cæteroquin tenebatur.* Cùm autem *diſpenſatio* fiat vel fieri poſſit & à *Deo*, & à *Magiſtratu*, duæ oriuntur quæſtiones, quarum prima huc redit, *an Deus poſſit diſpenſare in Jure naturæ?* altera, *an homines*? Primam quod attinet, ſenſus illius quæſtionis eſt, an permiſſu Dei ſingulari à legis naturalis obligatione ſalvâ Juſtitiâ divinâ quis ita eximatur, ut certô in caſu lex omnes obligans iis circumſtantiis, quibus alias

 obli-

obligat, eum non obstringat? Hîc in alia omnia abeunt autores, dum quidam, ut *Occam in 2. d.19. ad 3. Petrus de Aliaco in l. d. 14. Almainus 3. Moml.10.* (qui tamen ut probabilem eam tractat opinionem, postea eandem rejicit) arbitrantur, Deum in omnibus Juris naturæ & decalogi præceptis posse dispensare, eò quod omnia, quæ sub legem naturæ cadunt, ideo pro bonis vel malis habeantur, quia Deus eadem ut Legislator vel præceperit, vel prohibuerit. Quid? quod *Occam* cum *Aliaco* eò procedit impietatis, ut non dubitet impiam illam proferre vocem, actum odii Dei posse rectè fieri & à Deo præcipi. Deinde sunt alii, qui Deum inquibusdam naturæ præceptis dispensare & non dispensare posse asserunt, quod non unô explicant modo. Quidam ut *Durandus in l. d.47. qu 4. & Major in 2. d. 37. q. 10.* distinguunt inter præcepta negativa & affirmativa, in quô tamen non conveniunt. *Major* enim negativa pro dispensabilibus habet excepto præcepto quinto de non occidendô homine. *Durandus* verò præceptum hoc quintum & dispensabile & indispensabile statuit pro diverso respectu. Si enim generaliter sumatur pro quavis hominis occisione, dispensabile esse affirmat, secus, si accipiatur pro hominis occisione, prout eam ratio naturalis prohibet. Quoad affirmativa verò, de his pronunciat *Major*, quòd dispensationi sint obnoxia. Alii, ut *Biel in 3. d.37. q.1. art.2.* distinguunt inter præcepta primæ ac secundæ Tabulæ, & ex illis indispensabilia statuunt duo priora præcepta de non colendo Deo alieno, & nomine Dei in vanum non adducendo, tertium, quatenus circumstantias quasdam involvit, dispensabile proclamant. In præceptis verò secundæ Tabulæ relaxationem concedunt, in quâ sententiâ & est *Durandus l.c.* Alii denique cum *Thomâ in l. 2. q. 100. a. 2*, pluribusque à *Tannero Theol. Schol. T. II. disp. V. q. 2. d 4. f. 949.* citatis statuunt, Deum ne quidem per absolutam suam potentiam in præceptis Juris naturæ & decalogi utriusque Tabulæ adæquatè spectatis posse dispensare, à quorum partibus & nos stamus. Cùm enim objectum juris naturæ intrinsecam habeat bonitatem atq; malitiam ab eô prorsus inseparabilem, Deus per absolutam suam potentiam facere nequit, ut homines præcepta Juris naturæ adæquatè considerata transgrediendo nullo modo peccent & aberrent, multò minus contrarium ejus, quod lege naturali est constitutum, præcipiat. Ad hæc Deus non potest agere

con-

contra Justitiam suam, aut ab eadem deficere; quod tamen fieret, si quod intrinsecè esset malum approbaret, ac impune dimitteret. Neque quicquam omnipotentiæ divinæ decedit, licet, Deum non posse in his Legibus dispensare, dicatur. Adversæ partis sententiam quod concernit, ea hôc nititur fundamento, *Deum in præceptis Juris naturæ ideo posse dispensare*, quia *lex naturalis ab ipsius dependet arbitriô ac voluntate*. Idem enim hîc obtinere; quod in Magistratu circa dispensationem Legum observatur, existimant. Verùm lubricum esse & infirmum valdè hoc fundamentum, quod bonitas vel malitia humanorum actuum ab auctoritate & prohibitione vel præcepto extrinsecô proveniat, patebit, si conferantur ea, quæ de obligationis in Jure naturali origine supra in §.10. fuere adducta, ad quæ B.L. remittimus unicum hoc addentes, rationem illam solùm concludere, Leges divinâ voluntate sancitas à Deo posse mutari aut dispensari, sicut & leges, quæ Principis vel Magistratus arbitriô sunt constitutæ, aboleri queunt & dispensationi sunt expositæ. Alia verò ratio est Legum positivarum vel divinarum, vel humanarum, & alia legis naturalis. Earum enim obligatio à sola legislatoris, vel Dei vel Magistratus dependet voluntate, quod aliter se habet in Lege naturali. Deinde *Durandus* objicit, quod, sicuti Deus in naturalibus rerum conditiones sæpius mutaverit, ita & in moralibus posse rei bonæ vel malæ conditiones mutare. Sed ℞. (1) verùm id quidem esse, quod Deus naturales rerum conditiones sæpius mutârit, sed accidentales solùm ac extrinsecas, nequaquam intrinsecas vel essentiales, quas si mutasset, ipsa res simul periisset. (2) Conditiones bonitatis ac malitiæ in moralibus variari possunt, sed accidentales, non essentiales, quæ per se conveniunt. Neque juvant adversarios exempla è sacrô Codice petita, quibus Deum in jure naturæ dispensasse probare satagunt. Distinguendum enim est cum *Tannero in Theol. Schol. T. II. disp. V. qu. 2. d. 4. f. 949.* inter *dispensationem proprie ac impropriè acceptam*, quæ est, quando removetur aut remota declaratur obligatio à materiâ Legis inadæquatè spectatâ. Hinc, quando Deus dicitur dispensasse intelligendum id est de dispensatione impropriâ. Deus siquidem materiam legi naturæ subjectam & circumstantias extrinsecas ab eadem materiâ separabiles mutare vel tollere potuit, quibus mutatis cessat obligatio, & actio legi naturæ nequit esse repugnans, quæ tamen, iisdem

dem

dem manentibus, fuisset contraria. Monendum denique est *Scotum*, aliosque vocem *relaxationis* vel *dispensationis* in latiori accepisse significatu pro *interpretatione qualibet, declaratione*, vel abrogatione Legis, quô sensu à nobis hic non consideratur, ut observat *Suarez l.c. de LL. c. 15.* Conf. *Tanner. c. l. Azor. l. VI. Inst. Moral. l.c.1.f.610.*

XXVII. Sequitur altera quæstio, *an homo possit in Lege naturali dispensare?* Quod quidam de principiis primis ac conclusionibus proximis negant, concedunt autem de reliquis. Negativa tamen videtur arripienda. Ut enim quis in Lege aliquâ possit proprie dispensare, requiritur, ut ipse eâ Lege sit superior, polleatque potestate LL. ferendi. Jam nullus hominum Jure naturali est superior, cùm omnes eodem teneantur, ne excepta quidem Majestate, quæ soluta dicitur Legibus, non divinis & naturalibus, sed humanis. At verò, qui lege aliquâ obligatur, is, eadem superior aut in eâ dispensare, nequit dici. Ex quibus constat, Majestatem nullâ ratione in Lege naturæ posse propriè dispensare, quod elegantibus describit verbis *Cic. l. 3. de Rep. apud Lactant. l. VI. Instit. c. 8.* cum inquit: *Huic legi non prorogari fas est, nec derogare ex hâc aliquid licet, nec tota abrogari potest, nec verò per senatum aut populum hâc lege liberari possumus.* Hinc & patet, quô titulo Pontifex Romanus potestatem dispensandi in Lege naturæ sibi arroget, dum ex ficta omnipotentiæ suæ Majestate in gradibus *Lev. XVIII.* prohibitis pro lubitu dispensat, cujus rei luculentum exemplum tempora nostra præbuerunt, cùm nuptias *Johannis Casimiri* Regis Poloniæ cum defuncti fratris *Uladislai IV.* viduâ *Mariâ* contractas ratas haberet *Innocentius X.* Nec proficiunt quicquam secus sentientes dicendo, hominem sua quidem autoritate non posse dispensare in Lege naturæ, posse tamen autoritate Dei, quô modô & inferior in superioris Legibus dispensare potest. Cùm enim Deus non possit dispensare in Lege naturæ, quomodo homini eam concedere potuit facultatem; siquidem quod quis non habet, alteri dare non potest. Addendum tamen est, concedi posse, quòd homini dispensatio in Lege naturæ competat, si inadæquatè spectetur, i. e. si materia mutetur, & aliæ atque aliæ adjiciantur circumstantiæ, ut patet de circumstantiis legi naturali à jure humano additis in quibus homini licet dispensare.

TANTUM!

